



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

311. An Principes sœculares possint ex iusta causa dare Iudæis positiuam  
licentiam exercendi vsuras absque Pontificis authoritate? Ex part. 9. tract.  
9. & Misc. 4. res. 14.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](#)

# De Immunit. Eccles. Resol. CCCXI.&c. 255

compet. §. 3. Martha de success. leg. par. 2. c. 7. Ansaldus de iur. par. 2. tit. 9. c. 12. & alij communiter; vnde reprobandi sunt etiam, vt dixi, Wadingus loco citato. Sicut reprobandi sunt etiam, vt optimè aduertit Vela vbi supra, aliqui asserentes crimen usurarum esse mixti fori in ordine ad Iudicem Laicum, etiam agatur de quaestione iuris.

3. Nota tamen, quod quando dicitur crimen usurarum cum agitur de quaestione iuris, pertinere ad Ecclesiasticum, intelligendum esse de iure obscuro, & opinionibus obtuso, arguento textus, & quod ibi Glossa, & Doctores notant, In cap. cum dilectus, 8. de consuetudine, non verò de iure claro, quo videlicet aperte fuerit contractus, ut usurarius damnatus: nam cum id ius evitari nequeat, ex regula I. ornamen- torum 37. alijs 39. ff. de auro, & argento legato: in hoc sandi casu etiam facultatis iudex mixtam cum Ecclesiastico iurisdictionem habet ad cognoscendum, & iudicandum de contractu secundum illud Ius, circa cuius intellectum nihil noui videatur agere, sed ipsum se certum, ac exploratum detegere, argumen- to legi hæredes palam 21. ff. de testamentis, 1. adeo 7. §. Videtur, ff. de acquirendo rerum dominio. Id quod secularibus iudicibus prohibitum non est, vt probat Peguera decis. 30. crimin. num. 23. Et ita ex multis docet Vela, & Agia locis citatis. Sed ego de hoc alibi.

## RESOL. CCCXL.

An Principes secularares possint ex iusta causa dare Iudeis positiuam licentiam exercendi usuras absque Pontificis autoritate? Ex part. 9. tract. 9. & Misc. 4. Ref. 14.

**§. 1.** **A**ffirmatiuam sententiam docet Nauarrus, consil. 33. & 34. de Usuris, & nouissime Pater VVadingus tract. de Contr. disp. 5. dub. 13. num. 1. Probatur ratione, quam affert Nauarrus suprà, per- mittere usuras non est intrinsecè malum; alioquin Romanus Pontifex, nec in suo Statu posse eas per- mittere, nec alii date facultatem permittendi: ergo tanum obstat prohibitus Ecclesia, vel quod sit contra Canonem. Sed ad Canones bene respondet Campadius, quæst. 49. in tract. de Dote, & breuiter dici potest Canones non obligare Principes supremos cum magno Reipublica incommode. Si ergo Princeps aduertat magnam esse in suo Regno necessitatem mu- tui, illudque non posse aliter haberi, quam permis- sione usurarum, potest quantum iudicauerit necessitatem hac in parte permittere, sicuti tolerat mercenari- ces ad confermandam matrimoniorum, & Virginum ca- sitatem: nec in hac re potest per Ecclesiam impe- diri, vt diximus disputation. 3. dub. 4. §. 2. numero 6. cum de fide hæreticis seruanda eginus. Secundum est illa Praxis generalis per totum penè Orben. De Italia testatur Campadius suprà, de toto Imperio Ro- mano res est certissima, quia vbiique pene Iudei tol- erantur cum exercicio usurarum. In Polonia sunt eorum multa milia: in ditionibus Regis Hispaniae in quibus non sunt Iudei. Christianus aliquis à Prin- cipe Supremo accipit potestatem foenebrem mensam habendi publicè. In Belgio obseruavi, quod quam- primùm erigitur in aliqua Ciuitate Mons pietatis, cogatur Usurarius abire; quia non est Reipublica necessarius, cum mutationi Mons sufficiat. Ita VVa dings.

2. Sed ego contraria sententia adhæreo. Vnde Addit. ad dictum Consil. 33. Nauarii meritò contra illum insurgit, & asserit negatiuam sententiam esse Tom. IX.

communem, quam cum dicta Additione tener Mal- derus in 2.2. D. Thoma, tract. 5. cap. 3. dub. 24. conclus. 7. Cardinalis de Lugo, tom. 2. de Iust. disput. 25. sebt. 11. num. 219. & 220. Wigiers de Inst. tract. 5. cap. 6. dub. 2. 3. num. 111. vbi sic ait: Si in aliquibus locis iudicetur valde necessarium propter multorum graues indig- etias, vnde maiora mala timeantur, permittere usuras; & usurarij, qui feceris exercere parati sunt, non ve- lint tamen mutuare, nisi permittatur ipsis. Atio contra mutuatarios, qui negarent soluere usuras permis- sas, ac nisi his negetur actio ad repetendas solutas, vnde Magistratus quasi necessitetur ad faciendam eiusmodi permissionem usurariis, vt possit succurrere necessitatibus subditorum, & auertere grauiora pericula à communitate: non foret contra Ius na- turæ, si Magistratus, iuxta suis promissas, tunc concede- ret Usurariis actionem, & vrgeter mutuatarios ad so- lutionem, & non concederet eis actionem repetendi. Quamuis interim usurariis talia permittere, & actionem concedere, & sic compellere mutuatarios, videatur fore contra Ius Canonicum. Quod autem non sit contra Ius naturæ, probatur, quia Pontifex, vt testatur Nauarius consil. 33. de Usuris cogit Chris- tianos in statu Ecclesiastico Rome, Ancone, & Auenione ad soluendum Iudeis usuras permisssas: ergo ex rationabilibus causis cedere actionem usurariis ad exigendas usuras permisssas, sive de quibus con- cumentum est, & ad illas soluendas compellere, non debet censeri esse contra Ius naturæ: neque enim di- cendum, quod ibi in illo facto erret & peccet contra Ius naturæ. Quare neque Princeps secularis sic faciendo peccabit contra Ius naturæ: quamvis, vt id licetè faciat, verius sit, quod debet accedere Pontificis dispensatio propter Ius Canonicum. Ita ille, cui addit, præter Doctores citatos, Sylvestrum verb. us- ura. 9. quæst. 22. & omnino videndum Marquardum de Susannis, in tract. de Indeis, part. 1. cap. 11. num. 11. vbi plures Iurisconsultos pro hac sententia ad- ducit.

## RESOL. CCCXII.

An index secularis possit punire laicum sub praetextu eius prohibitionis, etiam si habeat licentiam ab Episcopo in diebus festis laborandi? Ex part. 4. tractat. 1. Re- sol. 94.

**§. 1.** **N**egatiuè respondendum est, & ita declarauit <sup>Sup. hoc su-</sup> sacra Cardinalium Congregatio sub his <sup>Pra. in Ref.</sup> 226. ad me- verbis. Cum Officiales Curia secularis Mutinæ præ- diant, neminem posse in diebus festis vacare operi- bus seruilibus, etiam de licentia Episcopi, nisi eo- rum quoque licentiam obtineat, & laborantes abs- que eorum licentia, incidere in penas ab eis, con- tra non obseruantes dies festos, statutas. Episcopu s petit vt declaretur, ad quem spectet huiusmodi licen- tiām concedērē; & an si ipse prævia necessitatē ap- probatione aliquibus illam concesserit, possint præ- dicti Officiales eos punire. Sacra Congregatio Car- dinalium Concil. Trid. interpretum censuit huiusmo- di licentiam concedendi iuxta sacrorum Canonum præscriptum, ad Episcopos tantum pertinere, non autem ad ministros seculares, atque eos, qui diebus festis prævia Episcopi licentia operibus seruilibus va- cauerint, nequaquam posse a iudicibus laicis quoquo modo multari, aut puniri, Robertus Cardin. Vbaldinus, & hanc declarationem adducit Megalius consil. 97. n. 2. & Homobonus de Bonis in exam. Eccles. part. 3. tr. 15. c. 7. q. 17. ref. 3. qui alios Doctores adducit pro hac firmanda sententia, quam iterum docuit

Y 2 nouissime